# DE MORBO BRIGHTII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**OTTO DE WOLFFERSDORFF**
SONDERSHUSANUS.

OPPONENTIBUS
B. RUHBAUM, MED. ET CHIR. CAND.
H. SYBEL, MED. ET CHIR. CAND.
O. KUNTZE, JUR. STUD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

AVUNCULO DILECTISSIMO

**CAROLO DE BLOEDAU,**

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PRINCIPI SCHWARZBURGO-SONDERSHUSANO A CONSILIIS SECRETIS, AULAE PRINCIPALIS MEDICO, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Medicus, naturae minister et interpres, tantum facit et intelligit, quantum de naturae ordine re vel mente observavit, nec ultra scit aut potest.

BACO.

# CAPUT I.

## *Historia morbi.*

Quamquam jam Blackall [1]), medicus sui aevi sagacissimus et experientissimus, urinae eorum, qui hydropsia laborarent, interdum multum inesse albuminis exploraverat et, hujus rei notitia ad disquisitiones repetendas invitans, medicis viam ad investigandum illum ne nobis quidem satis explicatum morbum aperuerat, tamen R. Bright [2]), primus erat, qui, quum cadavera

---

[1]) J. Blackall, über das Wesen und die Heilung des Wassers und vorzüglich über die Gegenwart von gerinnbarer Lymphe des Bluts im Urine etc., aus dem Engl. von J. Radius. Pesth, 1821.

[2]) R. Bright, Reports of medic. cases. etc. Vol. I. 827 und Vol. II. 831.

hydropicorum, quorum urina fuerat albuminosa, saepius secuisset eorumque renes degeneratos invenisset, quem statum vocavit »granular degeneration« observationibus suis ductus, judicaret, quemadmodum jam antea pulmonum, cordis vel vasorum sanguiferorum vitia pro hydropsiae causis habita fuerint, ita etiam hanc renum destructionem quandam hydropis formam constituere. Quas quidem observationes quum in scriptis suis promulgasset, medici, inprimis Britanni et Galli, magis magisque animos ad hanc peculiarem hydropis formam advertebant et varias in variis scriptis proponebant sententias, diversa nomina morbo tribuentes; sic Martin-Solon[1]) eum »Albuminuriam,« Rayer[2]) »néphrite albumineuse,« alii alio nomine appellant; quae quidem nomina, quum symptomata magis singularia, quam totam morbi effigiem illustrent, non sunt probanda; nos quidem ut plerique nostratum, nomine »morbus Brightii« utamur.

Attamen, quamvis a viris artis medicinae peritissimis et illustrissimis multa de hoc morbo

---

[1]) Martin-Solon de l'albuminurie ou hydropsie causée par maladie des reins. Paris 1838.

[2]) Rayer. Traité des mal. des reins. Aus dem Französ. von Krupp. Leipzig und Kassel, 1839.

disputarentur atque conscriberentur, nondum controversia de natura et indole hujus renum affectionis est diremta, imo sententiae etiam nunc diversissimae. Quaenam enim est natura hujus morbi? Quaeritur, utrum haec renum degeneratio albuminuriam et hydropsiam provocet, an utraque modo symptomata sint status pathologici nondum satis explorati? Num morbum Brightii cum tuberculosi aliisve renum morbis, qui haec organa simili modo destruant urinaeque secretionem proprio modo commutent atque hydropsiam inducant, confundere licet? Priusquam ad has quaestiones dirimendas progrediamur, necesse est, symptomata morbi exponamus, iisque anatomica et physiologica ratione exploratis, de natura et indole morbi judicium feramus.

## CAPUT II.

### *Morbi symptomata.*

Symptomata pathognomonica hujus morbi praecipue in urinae secretione, hydrope, sanguinis corruptela, aliisque rebus adventitiis cernuntur. Nos haec symptomata, quae modo majoris, modo minoris sunt momenti, secundum gravitatem colligamus atque collocemus.

I. Prae omnibus urinae secretio nostros oculos in se convertit, nam et copia et color et pondus sunt commutata.

Copia urinae in hoc morbo non tam perspicue diminuta est, quam in aliis hydropsiis, imo interdum urinae secretio largior, ita ut morbus quodammodo diabetae mellito similis videatur; nam sub finem morbi demum evenit, ut renes parcius urinam excernant, quod tum destructi urinam per canales suos emittere non possunt.

Quod ad colorem urinae attinet, quamquam vario morbi gradu variat, ineunte morbo, praecipue, si ejus decursus acutus est, urina saepissime sanguinolenta, vel rubra invenitur, sedimentis crassis et fuscis praedita; haec vero haematuria neque semper adest, neque longum per tempus trahitur. In universum autem est urina substraminea et opalescens, saepius jumentosa; raro pallida, rarissime clara et pellucida; odorem edit ammoniacalem et tardius solito putrescit.

Pondus, quod vocant specificum, urinae in hoc morbo semper est minutum, quod urea et acidum uricum plane fere desiderantur, vel in iis casibus, quibus ejus copia parcior est, itaque concentratio solidorum urinae elementorum ex-

stat; nam dum urinae sanae pondus 1,924—1,026 esse solet, huic circiter 1,013—1,018 est.

Maxime autem notabilis et ab unoquoque pro signo pathognomonico recte habita, est ea urinae anomalia, quam chemiae praesidiis invenimus, copiam dico albuminis insignem, quod jam multa spuma urinae inter excretionem et facilis bullarum formatio indicant. Optimum adminiculum, quo albumen investigare possumus, est usus caloris et acidi nitrici. Quo quidem copiosius albumen est, eo plus coquendo praecipitatur, sin autem exigua quantitas inest, modo spumat urina et turbida videtur. Salia urinae phosphorica, quae calore simul cum albumine praecipitantur, acido nitrico solvantur necesse est. Hac vero ratione urina tantum acida perquiri potest, quam ob rem, si neutralis, vel alkalina est, antea aliquid acidi acetici addendum.

Sed quamquam in morbo Brightii copia albuminis signum optimo jure pathognomonicum dicitur, tamen cavendum est, ne quisque morbus, in quo albumen cum urina excernitur, morbum Brightii existimetur. Tantummodo si albumen per longius tempus in urina invenitur simulque illa symptomata, quae expondituri sumus, accedunt, morbum certo cognoscere licet. Albumen enim in his etiam casibus reperitur:

*a*) Quidam cibi et alimenta in urina hominum etiam sanorum id provocare possunt, ut farinosi cibi et panis corruptus; neque minus in dyspepsiis albumen saepe deprehenditur; sed in omnibus his casibus albumen mox evanescit et omnia alia nostri morbi symptomata desunt.

*b*) Albumen interdum etiam in urina gravidarum apparet.

*c*) Adest saepissime in morbis acutis, praecipue, si crises imminent; sed tum quoque cetera symptomata, quae morbum nostrum constituunt, deficiunt, quamquam maxime mirandum videtur, in iis morbis acutis, ubi urina coagula efficiebat, renes degeneratos inventos esse, ut Désir[1]), Rayer aliique ostenderunt.

*d*) Adest etiam in quibusdam renum morbis, ut carcinomate, haematuria, tuberculosi etc.

*e*) Interdum invenitur post apoplexias et commotiones; sic Hankel (M. Ztg. v. e. Ver. in Pr. III.; 89) in urina hominis, qui com-

---

[1]) Désir: de la présence de l'albumine dans l'urine, considérée comme phénomène et comme signe dans les maladies. Dissert. Paris 1835. Gaz. méd. 1837. Jan. No. 24.

motione medullae spinalis laborabat, multum albuminis, sed parum ureae et nihil acidi urici reperit.

*f*) Etiam in morbis cordis albumen interdum cum urina communicatur; quod, quum saepissime cum morbo Brightii vitia cordis inveniamus, nonnullis persuasit, haec ipsa vitia illum provocare, id quod ineptum nobis videtur.

Ut denique de microscopica urinae disquisitione in hoc morbo nonnulla afferamus, restat.

Quamquam Gregory jam in urina albuminosa corpuscula sanguinis commemorat, tamen Gluge [1]) primus erat, qui ad renes morbo nostro degeneratos accuratius investigandos microscopica perscrutatione utebatur. Nunquam hic in urina albuminosa corpuscula sanguinolenta, interdum modo purulenta, rarissime globulos, ab ipso dictos inflammatorios, reperit, sed plerumque alienam granulorum tenuium massam, quae, si copia albuminis magna, uberior erat. Hecht [2]) autem in urina sanguinolenta

---

[1]) Gluge: Casper's Wochenschrift, 1837. No. 38, 39, 49. (Schmidt's Jahrbücher XXI, p. 58.)

[2]) Hecht: D. de renibus in morbo Brightii degeneratis. Berol. 1839 u. Casper's Wochenschrift 1839.

cum morbo Brightii consociata copiam corpusculorum sanguinolentorum reperit et corpuscula minima nucleo obtecta, quae quidem pro epithelio canaliculorum uriniferorum habebat; praeterea dispersos inflammatorios et purulentos globulos deprehendit. Videmus haec inventa maxime esse diversa et nil certi usque ad hoc tempus microscopicas perscrutationes ostendisse; futuri igitur temporis est, hac de re certiores nos reddere.

II. Symptomata, quae in morbo Brightii itidem magni habentur momenti, Oedema et hydrops Ascites sunt; rarissime haec deficiunt, plerumque adeo primum medicorum animos ad renum aegrotationem advertunt. Oedema non semper a pedibus, sed maxime manibus et facie orditur, saepe morbi gradui non respondet, quoniam, etiamsi morbus rapidum infaustumque decursum emetitur, non raro exiguum, modo ut Oedema faciei, apparet. Proprium oedematis est, ut facillime evanescat et redeat, nunc in brachiis, nunc in femore exstet. Rarissime accidit, ut Hydrothorax, Hydropericardia, Hydrocephalus accedant, id quod plerumque tantum morte instante fieri solet.

III. Sanguis etiam eorum, qui hoc morbo laborant, anomalias ostendit, quae quod ad pro-

gnosin gravissimae sunt et phaenomenis lucem affundere possunt. Si morbus acutum absolvit decursum, sanguis e vena missus corium pleuriticum exhibet, serum est lacteum non pellucidum, pondus specificum valde minutum, eoque magis, quo copiosius albumen secernitur; simul albumen et salia in sanguine modo parca inveniuntur, dum fibrina est adaucta. De hac re comparanda sunt experimenta, quae instituerunt Andral[1]) Gavarret, alii. Morbo progrediente sanguis in majorem seri quantitatem et minorem copiam placentae secedit; modo solida urinae elementa sunt diminuta, modo adaucta; saepissime multum ureae in sero invenitur. Omnino autem haec indicia nonnisi sanguinem depravatum arguere videntur.

IV. Saepe ii, qui morbo Brightii laborant, dolore regionis renalis et sacrae tentantur; est dolor, qui compressione augescens, fixus et pungens, haud raro decursum nervorum sequens, juxta superficiem femoris internam descendit; si vehementior evadit, raro desunt affectiones ventriculi consensuales; uti nausea, vomituritiones, vomitus. Sed quamvis hic dolor a multis symptoma habetur, quod rarius desideretur, tamen in

---

[1]) Andral, Anatomie pathologique. 1829.

pluribus aegrotis non observatur et innixi explorationibus Brightii, Andral, Tissot[1]), Gregory, aliorum contendere possumus, dimidiam aegrotorum partem illo dolore angi, quamquam Tissot in tertia tantum aegrotorum parte eum affuisse tradit.

V. Actio cutis apud plerosque aegrotos desideratur; superficies corporis est flaccida et arida, extremitates frigidae, siccae et asperae, facies livido atque pallido colore conspicua.

VI. Febris semper fere hunc morbum comitatur, praecipue formam acutam, dum chronica tum demum symptomata febrilia prae se fert, si morbus jam per aliquod tempus perduravit.

VII. Symptomata nervosa initio morbi plerumque desunt, modo cephalaea aegroti laborant; attamen si jam albumen copiosius excretum et vires valde debilitatae sunt, alia apparent symptomata, ut coma, delirium, convulsiones, subsultus tendinum, quorum causa, ut opinor, in sanguine urea abundante et cerebrum irritante ponenda est. Nam urea in sanguine retenta, instar narcotici nervorum centra afficere videtur.

---

[1]) Tissot, de l'hydropsie causée par l'affect. granuleuse des reins. Diss. Paris 1833.

Sed jam transeamus ad ea criteria, quae cadaverum sectione nobis obvia fiunt.

## CAPUT III.

## *Necroscopia.*

### I. Renum degeneratio.

Gradus hujus degenerationis variat, qua in re maxime id spectandum est, utrum morbus acutum fecerit decursum et celeriter vitam exstinxerit, an chronicum, ita ut per longum temporis spatium degeneratio summum perfectionis gradum adipisci potuerit. Christison secundum renum mutationes morbi processum in stadia tria dividit; Solon quinque gradus statuit, Rayer sex adeo species affert. Longum est omnia stadia, quae modo nominati auctores defendunt, enarrare; nobis tres tantum gradus renum degenerationis statuendi videntur.

Stadium primum secantibus raro occurrit, quod aegroti nonnisi fortuito morbo incipienti succumbunt. Volumen renum, quorum consistentia mollis et laxa est, statu congestivo valde adauctum invenitur; substantia corticalis multis

punctis sanguinolentis est obtecta; saepe incisurae, quae renes in lobulos dividunt, magis perspicuae apparent.

Stadium secundum. Pro superiori hyperaemia major minorve anaemia exstat; volumen modo est auctum, modo deminutum, modo normale; consistentia durior; calor externus pallidus vel flavidus, albis et induratis circatrici similibus striis distinctus; superficies praebet speciem granulosam, quae granulationes maxime in marginibus substantiae corticalis sunt perspicuae et comparari possunt cum parvis maculis subflavis lacti similibus. Jam peritonaeum non facile a renibus diduci potest. Substantia tubularis. magna adeo reliqui parenchymatis degeneratione, prorsus integra manere potest, tamen evenit, ut commutationis universae particeps sit.

Stadium tertium. Renes innumeris flavis vel rubris quasi verrucis sunt obtecti et non solum substantiae corticalis, sed etiam tubularis textura deleta. Volumen nunquam est adauctum, sed potius minutum, renes sunt duri, ita ut massae cartilagineae similes videantur. Pyramides plerumque prorsus evanuerunt, vel modo rudimenta reliquerunt; generatim renes ita sunt correpti et alienati, ut vix structuram pristinam cognoscere possis.

Hae fere sunt mutationes, quas nos cadaverum sectionibus observavimus; restat, ut commemorem, saepe degenerationem alterutrius renis longius progressam esse quam alterius; sed ambo renes, si aegrotus aliquamdiu laboraverit, semper morbo affectos esse, constat.

Jam exponamus, quasnam mutationes, ut a renibus discedamus, in aliis organis interdum deprehendamus.

## II. Degenerationes aliorum organorum.

*a.* Pleura et pulmones saepissime hoc in morbo affecti reperiuntur. Bright pleuram in casibus centum modo vicies sexies sanam, in ceteris autem cum pulmone concretam, vicies sexies sanam, in ceteris autem cum pulmone concretam, vel serum in ejus sacco invenit. Gregory in casibus quadraginta octo vicies ter pulmones alienatos vidit et in his praecipue tuberculosos atque phthisicos. Andral praeterea saepissime pulmonum oedema, bronchitidem et emphysema animadvertit.

*b.* Cor creberrime anomalias, quod omnes affirmant scrutatores, ostendit. Modo hypertrophiam, modo dilatationem, modo valvularum, vel semilunarium, vel mitralium, vitia conspicimus.

*c.* Hydropsiae symptomata plerumque invenimus, si morbus jam per aliquod tempus per-

duravit: Oedema enim, hydrops Ascites, Hydrothorax, Hydrocephalus, accedere possunt.

*d*. Splen interdum tumefactus et sanguine obrutus apparet, haud raro autem non mutatum videmus.

*e*. Hepar rarissime anomalias ostendit: renes et hepar hic vices subire mihi videntur: nam uti in hydropsia vitiis hepatis organicis inducta non urinam coagulabilem nullamque renum anomaliam invenimus, ita hepar in morbo Brightii plerumque vitiis liberum deprehendimus.

## CAPUT IV.

## *Morbi decursus et exitus.*

Morbi decursus, ut jam supra adnotavimus, vel acutus vel chronicus est.

Forma acuta saepissime rapidum decursum absolvit, aegrotorum vires brevi consumit exitumque lethalem accelerat. Aegroti subito frigore conquassantur, quod aestu excipitur; pulsus est plenus, frequens, sed mollis; cutis sicca, arida; aegroti saepius cruciantur doloribus regionis lumbalis, quibuscum mingendi cupiditas conjuncta est; urina, saepe cum impedimentis missa, colorem offert rubrum, fuscum, vel sanguinolentum; reactio ejus est acida, sedimentum oritur fuscum et turbidum. Ureae et salium quantitas

vix in hac forma mutata est, sed magnam albuminis copiam in urina reperimus; mox accedit hydrops Anasarca, pulsus fit frequentior, fastidium ciborum, vomitus et vomiturितiones intrant, respiratio evadit molesta, interdum tussi interrupta, symptomatibus tandem crescentibus aegrotus maximum in discrimen vocatur, quod raro effugit.

Saepissime accidit, ut forma acuta in formam chronicam transeat. In forma chronica febris et dolores regionis lumbalis semper fere desunt; urina missa non est sanguinolenta, sed pallidior, augescente quantitate. Initio organa digestionis, respirationis et circulationis plerumque nullam anomaliam praebent et modo postea symptomata apparent, quae vitae aegrotorum insidiari videntur. Nam morbo demum per longum tempus protracto febris et diarrhoea, quae vires sensim consumunt, superveniunt. Hydropsia primo exilis celeriter progreditur et symptomatibus modo cedentibus, modo redeuntibus, plerumque febris hectica exitum lethalem infert.

Morbus exire potest:

*a)* In sanationem perfectam; et forma quidem acuta plerumque crisibus perspicuis, per cutem et intestina; chronica autem magis lysibus ad sanationem perducitur. In utraque forma albumen magis magisque evanescit et urina ad normalem quantitatem et qualitatem redit.

*b)* In sanationem partialem, ita ut magna renum irritatio atque debilitas remaneant, quae facillime morbum recidivum efficiunt.

*c)* In alios morbos: plerumque in renum inflammationem, hydropem, tubercula pulmonum, Diabeten mellitum, uroplaniam.

*d)* In mortem, quae aut morbos sequitur, qui cum nostra affectione junguntur et creberrime quidem cerebri affectionem, qua coma, delirium, convulsiones inducuntur, aut febrem hecticam, marasmum; interdum pulmonum oedema et vitia cordis occidunt.

## CAPUT V.

## *De Diagnosi.*

Omnia symptomata morbi perscrutantes ne unum quidem animadvertimus, quod per se solum pathognomonici signi dignitatem obtineat, et quemadmodum morbum Brightii a viris artis medicae peritissimis atque excellentissimis usque ad decennium superius non exploratum fuisse videmus, ita concedere debemus, eundem apud viros haud raro tantum a sagaciore et attentiore medico cognosci posse. Quod pertinet ad diognosin formae acutae et chronicae non magnas affert difficultates, medicus facile rem dirimet; nam in acuta forma semper vehementem

invenimus febrem, quae haud raro synochalis est; omnia symptomata magis perspicua et exquisita sunt, quam in forma chronica, quae maxime torporem quendam prae se fert, qui modo sensim vires consumit et mortem inducit, dum in altera forma decursus esse solet rapidus et mox, nisi forma acuta in chronicam transeat, exitus vel faustus vel infaustus exspectandus est; porro urinae color et natura, denique digestionis paturbationes et cerebri affectiones magis in chronica, quam in acuta forma apparent.

Fortasse etiam morbus Brightii cum Diab. mellito confundi poterit; sed hic etiam diagnosin facile constituere licet; etiamsi enim interdum fit, ut aegroti in morbo Brightii siti vehementi crucientur et magnam urinae copiam mittant, tamen chemia diagnosin dirimit, quae in morbo Brightii simul cum urina albumen, in Diab. mellito saccharum parari, docet. Ab omnibus aliis renum morbis facillime dignoscitur.

## CAPUT VI.

## *De morbi causis.*

### I. Causae praedisponentes.

1. Aetas. Quaque fere aetate hic morbus occurrit, sed ut accuratiores observationes demonstrarunt, maxime ab anno tricesimo usque

ad quadragesimum deprehenditur; infantes raro huic malo submittuntur.

2. Sexus. Viri multo frequentius hoc morbo afficiuntur, ut Becquerel[1]), Tissot, Sabatier[2]), Constant[3]), alii affirmant. Causa hujus rei in eo ponenda esse videtur, quod viri multo magis injuriis, quae morbum Brightii provocant, sese committunt, quam mulieres.

3. Anni tempestas. Plerique medici consentiunt, morbum autumno et hieme maxime apparere, quae tempestates omnino morbis renum favent, quippe quibus cutis functio magis inhibeatur, itaque urinae secretio augeatur; organa autem iis temporibus praecipue morbis tentari, quibus eorum functio maxime est excitata, constat.

4. Graviditas etiam huic morbo favere videtur.

## II. Causae occasionales.

1. Perspiratio cutis suppressa et perfrigerium gravissimam ad hunc morbum provocandum sistunt causam. Bright hanc causam jam obiter tetigit, Osborne autem primus eam accuratius investigavit et proclamavit, cujus eum ob-

---

[1]) Becquerel, Séméiotique des urines. Paris 1841.

[2]) Sabatier, Considérations sur l'hydropisie symptomatique d'une lésion speciale des reins (Archive général de Medecine 1834).

[3]) Constant, Gaz. méd. 1834. Nro. 8.

servationibus Rokitansky[1]). Andral, alii merito consentiunt. Itaque hunc morbum praecipue iis supervenire videmus, qui ad victum comparandum crebris perfrigeriis omnibusque tempestatum vicissitudinibus sese committunt, ut nautis rhedariis, aliis; in his etiam causa est, quod opulentiores minus quam pauperiores, qui praesertim domiciliis humidis uti coguntur, hoc malo laborant. De his rebus bene Andral scribit (l. c. pag. 291.): „Le plus souvent, lorsque les malades se rappellent leurs antécédents, ils nous apprennent, qu'ils se sont exposés au froid, à l'humidité, ou qu'ils ont bu abondamment de l'eau froide, lorsqu'ils étaient en transpiration..... Nous la devons à l'influence de l'humidité et du froid, joindre celle du mauvais régime et parfois du manque de nourriture; ce sont deux ennemis, qui ne sont que trop souvent conjurés contre le pauvre et l'artisan." — Memorandum etiam est, post scarlatinam, praecipue in stadio desquamationis, quo cutis functio per morbum exanthematicum debilitata et suppressa est, saepissime morbum Brightii exoriri; fortasse cum Constantin et Thomson, causam Hydropsiae, quae scarlatinam interdum sequitur, in renum degeneratione ponendam esse, recte contendere licet;

[1]) Rokitansky, Handbuch der path. Anatomie. Wien 1842. II. Aufl. Tom. III. p. 412.

nam si moriuntur aegroti morbis exanthematicis laborantes, in plerisque invenimus renum degenerationem supra adumbratam.

2. Victus. Ut domicilia humida, sic etiam alimenta incongrua, praecipue spirituosorum abusus causam occasionalem praebent.

3. Dyscrasiae quaedam, praesertim tuberculosis, et scrophulosis saepissime hunc morbum inducere videntur.

4. Medicamina quoque nonnulla, ut abusus diureticorum, imprimis autem hydrargyri, ut multi putant, morbum Brightii provocant. Utrum diuretica largius adhibita causam hujus mali sistant, nec ne, nondum quidem diremtum est; sed Désir experimentis in nosocomio factis, cui nomen est: „Hôpital des Vénériens" demonstravit, hydrargyrum minime inter hujus morbi causas referendum esse.

## CAPUT VII.

### *De natura et indole morbi.*

Quibus pensitatis atque pertractatis, ad illas, quas supra commemoravimus, quaestiones redire licet: Quaenam sit natura morbi? Quonam modo oriatur? Quaerimus, utrum Hydropsia an Albuminuria, an renum degeneratio, an denique occultius malum quoddam primariam sistat affectionem?

Opiniones inter se diversissimas hac de re traditas esse scimus, quamquam plerique nostrae aetatis scriptores, renum degenerationem primariam, hydropsiam secundariam esse contendunt. Ac profecto hi sententiam suam tueri possunt! Nam quomodo fit, ut in quibusdam tantum casibus hydrops cum hac renum degeneratione appareat? Nonne Albuminuria et renum degeneratio, gravissima illa morbi symptomata, mortem inducere possunt, hydrope deficiente, aut multo serius intrante, aut modo evanescente, modo redeunte, dum alia morbi symptomata non commutantur? Mehercle! qui hydropem affectionem esse primariam opinantur, longe a vero abhorrent. Sed jam quaerimus, num renum degeneratio conditio necessaria omnium ceterorum morbi phaenomenorum sit, nec ne?

Hanc quidem opinionem plerique, ut jam diximus, auctores defendunt, nam in omnibus fere, qui hoc morbo laborantes tarde interierunt, haec renum degeneratio non desideratur. Attamen, nonne haec degeneratio mali occultioris causa esse potest? Quis est, qui explicet, quod aegrotos in tanta degeneratione sanari posse putemus? Licetne statuere, tali degeneratione laborantes renes tam facile ad structuram et functionem normalem reduci posse? Minime! hanc etiam sententiam probare non possumus.

Propius ad veritatem accedere videntur, qui contendunt, in iis quidem casibus, quibus aegroti sanentur, nondum renum degenerationem exstitisse, in iis autem, quibus morti succumbant, eam ob causam exitum lethalem evasisse, quod morbus jam ita progressus fuerit, ut renum degenerationem, quae semper inevitabilem mortem inducat, effecerit; quod quidem verisimilius est, si praeterea meditamur, dolorem regionis lumbalis saepius in summo morbi gradu, quam initio, adesse et semper utrumque renem hoc peculiari modo destructum inveniri. Itaque his reputatis atque ventilatis, nihil aliud restat, quam ut Albuminuriam affectionem esse primariam contendamus. Haec vero Albuminuria provocata videtur peculiari quadam sanguinis dyscrasia; num eadem sit, quae scrophulosis et tuberculosis, ut Henle suspicatur, an alia quaedam haud satis cognita, quae albuminis formatione in sanguine, fibrinae copia diminuta, excellat, hoc quidem non satis exploratum habemus, quanquam sententia ultima probabilis videtur. Rokitansky etiam, de anatomia pathologica optime meritus hancce sententiam probat (pag. 420, Tom III.) haec referens: »Meiner Meinung nach wäre sonach in der Br. Krankheit eine Anomalie der Blutkrasis die primitive, welche wahrscheinlich nicht immer und zum wenigsten nicht immer

alsbald — gleich der die zuckerige Harnruhr begründenden Anomalie der Vegetatio — die sichtlich secundäre Erkrankung des Nierengewebes zufolge einer besonderen Beziehung zur Niere bedingt.« E sanguine depravato albumen in renibus deponitur, quod non solum in urinam transit, sed etiam in telis renum cellulosis remanet et coagulat, quo fit, ut vasa capillaria substantiae corticalis comprimantur, et anaemia existat; proinde renes, secretione impedita, ueam e sanguine educere non possunt, quae retenta symptomata irritationis provocat.

E dictis, morbum Brightii partim Cachexiae tuberculosae, partim Diabet. mellito similem esse patet.

## CAPUT VIII.

## *De Prognosi morbi.*

Prognosis mala habenda est; nam morbum Br. vitae hominum periculosissimum et maxime perniciosum esse, jam ex iis, quae de eo disputavimus, intelligere licet. Bright ipse eum paene insanabilem esse putat, nam ex viginti quatuor aegrotis duodeviginti morbo succubuerunt. Haecce fere momenta medicum in prognósi statuenda intueri oportet:

*a*) Morbus si jam per tempus aliquod perduravit et vires aegrotorum valde consumsit, semper fere exitum infaustum sortiri solet.

*b*) Quo plenior urina est albuminis, quo pallidior et spumosior, eo majus hominum vitae periculum minatur.

*c*) Suspicio, renes degeneratos jam esse, prognosin lethalem statui jubet.

*d*) Si cutis perspiratione caret, si semper sicca est et aspera aegrotique per debilitatem magis magisque ad febrem hecticam vergunt, sanationem medicus vix exspectare debet.

*e*) Hydropsia valde diffusa et magnam sanguinis depravationem significans semper maximum periculum affert.

*f*) Si pulmones, aut cor, aut alia nobiliora organa aegrotant, aut si symptomata cerebri affecti apparent, de vita aegrotorum desperandum est.

Prognosin bonam sequentia exhibent:

*a*) Si copia albuminis in urina minuitur ureaque ei redditur.

*b*) Si cum albumine etiam Hydropis signa sensim evanescunt, neque redeunt; sin, urinae natura non mutata, Hydrops evanescit, sanatio est imperfecta et reversiones semper sunt timendae.

## CAPUT IX.

### *De Therapia.*

Curatio, qua medici ad morbum Br. sanandum utuntur, diversissima est, id quod jam e sententiis variis, quae de natura morbi exstant, judicare possumus. Qui renum inflammationem causam proximam esse opinantur, methodo antiphlogistica utuntur, qui Hydropem maximum periculum afferre putant, diuretica laudant; alii denique in diaphoreticis solis salutem aegrotis suppeditari opinantur. Jam nostram sententiam de hujus morbi curatione afferre liceat.

Quum causae morbi Brightii nondum sint perspicuae atque satis exploratae, saepe indicationi causali medicus satisfacere non potest. Sed nihilo secius cachexia potatorum et perspiratio cutis suppressa ejusque torpor, praecipue post scarlatinam, ut indicationes causales, medico maximi momenti esse debent. In cachexia potatorum excitantia, amara, opii doses majores sunt adhibenda; cutis functioni suppressae diaphoretica respondent. Generatim, ut Osborne affirmat, diaphoretica omnium remediornm praestantissima sunt, et quum, ut jam vidimus, morbus Brightii saepissime cutis perspiratione suppressa provocetur, jure usus eorum commedatur. Osborne diaphoreticis usus, modo novem triginta aegrotos morte amisit; balnea, fomenta, deinde anti-

monialia, spirit. Mindereri, camphoram, tincturam guajaci ammoniat., alia adhibuit.

Quod ad indicationem morbi pertinet, remedia sunt adhibenda, quae sanguinis corruptelam corrigunt atque normalem mixtionem reducunt. Hunc in finem nonnulli Jodum, sed irrito successu, adhibuerunt, quod quum sufficere non videretur, ad hydrargyrum confugerunt, quod et ipsum desideriis non respondere videbatur, nam facillime in hac cachexia salivationem provocat, quamquam a Solone maxime laudatur. Omnino autem hydrargyrum in morbo Brightii non plane rejiciendum est, nam in primo morbi stadio bonum ejus effectum exspectare licet; at, si morbus longius processit, plus nocet, quam prodest. Etiam ferro usi sunt et hoc quidem saepius faustum morbi exitum induxit. Optimo jure Canstatt Alcalia laudat, praecipue ammonium, quae, uti scimus, specifice in albumen agunt. Non minus oleum jecoris aselli, plumbum, aliaque dyscrasias impugnantia remedia tentari possunt.

Curatio symptomatica inprimis ad duo momenta animum verti jubet: ad statum renum morbosum et ad hydropem. In forma acuta, qua dolores regionis renalis efficiuntur vehementes et febris indolem synochalem prae se fert, hirudinibus, vel cucurbitulis vel ipsa venaesectione sanguinis congestiones impugnandae sunt, quod praesidium secundum experientissimorum

medicorum sententiam egregium usum exhibet. In forma chronica, qua dolores renum plerumque desunt, praecipue symptomata Hydropis mitigentur oportet, quem in finem plerique medici diuretica porrigunt. Nonne autem his renes, jam irritati, magis excitantur, exitusque infaustus acceleratur? Certo! Haec methodus plus damni, quam utilitatis, afferre neque ullomodo probanda esse videtur. Satius est, ut opinor, renum irritationem opio mitigare, vires debilitatas tonicis corroborare et diaphoreticis functionem cutis instaurare. In laxantibus porrigendis maxima cautio adhibenda est, nam plerumque diarrhoeam pertinacissimam, vires aegrotorum celeriter consumentem, excitant. Bright tartarum depuratum collaudat, quocum, ne diarrhoeam efficiat, hyoscyamum et opium conjunxit. Complicationes, quae in decursu morbi apparent, pro natura sua curandae et morbi reversiones quovis pacto vitandae sunt.

---

# VITA.

Ego Guentherus Fridericus Otto de Wolffersdorff die XXIX m. Maj hujus saeculi a. MDCCCXXII patre Adolpho, matre Christina e gente Bloedau, quos adhuc vivos diligo et pio gratoque animo veneror, natus sum Sondershusae, ubi pater summo rerum venaticarum munere fungitur. Evangelicae fidei addictus primis litterarum elementis imbutus sum in gymnasio Sondershusano. Tredecim annos natus hoc gymnasium reliqui et ad scholam Portensem disciplina sua longe lateque celebratam, missus sum. Septem annis post testimonio maturitatis in-

structus hanc scholam mihi semper dilectam reliqui et Gottingae, medicinae operam daturus, a Cel. Bergmann, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus sum. Ibidem tres per annos versatus, hisce interfui virorum clarissimorum lectionibus: Ill. Langenbeck de osteologia, syndesmologia; de anatomia, de chirurgia; idem dux mihi fuit in cadaverum sectione; Ill. Conradi de encyclopaedia medica, de pathologia et therapia generali; Ill. Fuchs de pathologia et therapia speciali, de semiotice; Ill. Wagner de historia naturali; Ill. Berthold de physiologia et zoologia; Ill. Woehler de chemia; Ill. Griesebach de botanice; Ill. Ruete de ophthalmologia tam theoretica quam practica; Ill. a Siebold de arte obstetricia et theoretica et practica, nec non de medicina forensi; Ill. Himly de physice; Ill. Marx de materia medica.

His studiis peractis, me contuli Berolinum, almam hanc litterarum sedem. A Rectore magnifico Ill. Trendelenburg et Decano spectabili Ill. Hecker inter medicinae studiosos receptus, scholis clinicis, postquam Gottingae, ducibus Langenbeck, Fuchs, Conradi, de Siebold aegrotorum lectulos frequentaveram, Ill. Juengken, Cel. Wolff et Ill. Dieffenbach interfui.

Quibus omnibus viris, de me optime meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut hacce dissertatione cum thesibus publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

1. Bilis imprimis a vena portarum secernitur.
2. In senibus punctio hydroceles curationi radicali praeferenda est.
3. Medico mentiri licet.
4. Diagnosis morbi Brightii modo certa redditur sectione cadaverum.